

Fk. 131
13

X 2400494

II k
886

mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, including words like 'CAUSAM', 'LECTIONES', and 'INSTITVENDAS'.

CAUSAM

Legis XX. §. VI. P. Qui testam. fac. poss.

Q V AE

FEMINAS A TESTIMONIO IN VLTIMA VOLVNTATE DICENDO REMOVET,

INVESTIGAT,

AC

LECTIONES SVAS PVBLICAS ET PRIVATAS

SEMESTRI HYBERNO INSTITVENDAS

INTIMAT

D. GEORGIVS ADOLPHVS SCHVBERTH
INSTITVT. PROF. PVBL.



hr. Rös 602

C. AFRANIA, LICINII BVCCIONIS, Reipublicæ Romanæ Senatoris, Uxor (a) muliebris calumniam notissimum Exemplum, ob inusitatos latratus, quos assidue tribunalia exercebat, causam Prætoris Edicto dedit, quo sequior sexus à postulandi officio remotus fuit. *l. 1. §. 5. ff. d. postul.* Hæc in odium feminarum inventa dispositio postea ab VLPIANO tam largam recepti extensionem, ut ab officiis tam Civilibus s. Virilibus, quam publicis quoque excluderentur. *l. 2. ff. d. R. I.* Hinc neque Judices esse, neque Magistratum gerere, neque pro alio intervenire, nec procuratorem munere fungi poterant. *d. l.* Ne vero per invercundam improbitatem Afrania loquacitatem Nobilissimo mulierum Ordini æterna quasi his Legum constitutionibus inusta videretur macula, in causam earundem magis honestam & singulis convenientem inquirere sibi visum interpretum juris fecundissimum ingenium, quorum quidem nonnulli, illimitato sui sexus amore debacchati, inconstantiam, imbecillitatem, fragilitatem, judiciique defectum movisse legislatorem perhibent, quo feminas, his mendis plerumque scædentes judiciali agimine procul esse iusserit. Ast, qui perpenderit, Theodoram Justinianum; Hortensiam patrem; (b) Cajam Tarratiam patres Conscriptos; (c) aliasque innumeras, masculos sæpe iudicii alacritate, consiliorum promptitudine, rerumque gerendarum prudentia superasse, (d) istius opinionis generalitati parum fidei, majorem assensum PAVLO tribuit, qui, iudicio non delituisse esse mulieres, ipse fatetur. *l. 12. §. 2. ff. d. Judic.* Alii, quibus intimiores legum rationes erudiendum curæ cordique non est, sola memorati JCi auctoritate fligati incedunt, *Mortibus feminas prohiberi iudices dari, quia receptum sit, ut Civilibus officiis non fungantur, d. l. 12. alferendo, nec verentur, de fundamento receptionis quaerenti, ad l. 20. ff. d. LL. confugere, qua multis antiquitatum Juris imperitis excellens olim patuit Asylum.* (e) Melius mihi sentire videntur, qui honestatem sexus, verecundiam & stolæ matronalis decus, mulieres à limine judiciali arceere demonstrant, *v. l. 6. C. d. recept. arb. l. 21. C. d. procurat.* neque eorum displicet sententia, qui, verecundiam muliebre facere, *ne debeant; imbecillitatem, ne possint* fœminæ publica officia suscipere, conjunctum proprium. (f) Publicorum vero munus, que tamen rectius Civilia vocaveris (g) species quoque erat Testimonium, ad quod dicendum antiquitus feminas fuisse admittas, Imperatoris LEONIS Novella Constitutio XLII. ad STYLIANVM cinissa, documento est; Quod verum, si ad Justinianæ Leges respiciamus, & quarum corrigendarum ergo primario sollicitudinem Novellis suis LEO adhibuit. Anti-Justiniano jure enim fœminæ ab omni Testimonio repellabantur, quod & PLATONIS *LL. Libr. I. Cap. 2.* evincunt, & MOSAICO jure testimonium mulieris non receptum fuisse, JOSEPHO creditur. (h) Placitis vero, quæ Justiniano accepta ferimus, *mulieribus validum testimonium in omnibus causis, exceptis testamentis, ferre licet. L. XX. §. 6. ff. qui testam. fac. poss.* Quæ hujus Legis causa fuerit, mirum in modum Doctorum agitavit studium, ut inde diversas eorum partium generaliter occupatas opiniones exactius investigare, in præsentem pretium opere duxerim. Hinc illos non tangam, qui, licet, suffragante DVARENO, (i) homines magni nominis sint, fatentur tamen, se necire, nec postulationem hujus juris perficere, cum turpe putem, non solum jus, in quo versamur, sed & rationes vel certas vel probabiles saltem ignorare. Qui Venerabilis olim GLOSSAE auctoritatem comiter habent, ex ea fragilitatem sexus feminis, in testium numerum circa testamentarium actum nimis præjudicalem recipiendis, objiciunt, (k) licet non videam, quid sibi fragilitas velit in relatione ad testimonium reprobatur, maxime, cum Casum scripti Testamenti testibus oblati intuear. Nec Consilii infirmitas, mulieribus communis, quam DECIVS (l) pro ratione idonea venditat, nec falsitatis suspicio nostræ legis causam solidam refert. (m) Licet enim frequenter falsa Testamenta Romæ facta, & Lex Cornelia de falsis

fac. poss. Quæ hujus Legis causa fuerit, mirum in modum Doctorum agitavit studium, ut inde diversas eorum partium generaliter occupatas opiniones exactius investigare, in præsentem pretium opere duxerim. Hinc illos non tangam, qui, licet, suffragante DVARENO, (i) homines magni nominis sint, fatentur tamen, se necire, nec postulationem hujus juris perficere, cum turpe putem, non solum jus, in quo versamur, sed & rationes vel certas vel probabiles saltem ignorare. Qui Venerabilis olim GLOSSAE auctoritatem comiter habent, ex ea fragilitatem sexus feminis, in testium numerum circa testamentarium actum nimis præjudicalem recipiendis, objiciunt, (k) licet non videam, quid sibi fragilitas velit in relatione ad testimonium reprobatur, maxime, cum Casum scripti Testamenti testibus oblati intuear. Nec Consilii infirmitas, mulieribus communis, quam DECIVS (l) pro ratione idonea venditat, nec falsitatis suspicio nostræ legis causam solidam refert. (m) Licet enim frequenter falsa Testamenta Romæ facta, & Lex Cornelia de falsis

- (a) An rectius dicatur Carfania, hic non evolvam. Durum nimis in VALERIO MAXIMO experitur iudicium, qui in Libr. VIII. Cap. III. illius quidem temporis, quo spiritum reddidit, non tamen ortus mentionem facit, omisi rationem edens: *Tale enim Monstrum magis quo tempore sit extinctum, quam, quo sit ortum, memorie tradendum est.*
- (b) VALER. MAX. *L. 8. c. 3. §. 3.*
- (c) GELL. *Noct. Attic. L. 6. Cap. 7.*
- (d) Adduci merentur Verba Cl. J. B. DANTOINE, JCi Lugdun. quæ, dum circa Legis 2. ff. d. R. I. rationem disquirat, facit: *Est-ce l'inconstance de ce sexe? Souvent il est plus fixe dans ses sentimens que le nôtre; Est-ce la fragilité? Il fait souvent paroître plus de fermeté, que nous; Est-ce le défaut de penetration? Les femmes ont autant d'Esprit, que les hommes, & des lors qu'elles s'apportent à la vertu & à l'étude, elles y vont avec plus d'ardeur, que nous, & y font plus de progrès. dans les Commentaires, sur les régl. du droit Civ. p. m. 11.*
- (e) Conf. FRIEDR. HORTLEDER de vero sens. l. non omnium ff. d. LL. §. 23. seqq.
- (f) JAC. GOTHOFRED. ad Regul. Sabinian. Part. I. Reg. II. p. m. 26. Eleganter hanc Legis Causam expressit laudat. DANTOINE d. l. p. 11. verb. *On peut donc assurer, que la bienveillance est la seule cause, qui a éloigné les femmes de l'embarras d'offices publics, si ce n'est, qu'on veuille ajouter pour seconde raison, les menagemens, que l'on doit avoir pour la Complexion de ce sexe, qui doit se réserver à des occupations plus douces & plus tranquilles.*
- (g) JAC. GOTHOFRED. d. l. p. 24. conf. SENECA. Epist. VIII. qua Testem Advocato æquiparat. ANTON. SCHVLTING. ad Ulpian. Tit. XX. in Jurisprud. Ant. Justin. p. 628.
- (h) JOSEPH. Antiqu. Judaic. Libr. IV. cap. 5. JACOB GOTHOFRED. d. l. p. 26. BERGER. d. mulier. test. in Vol. Disert. p. 788. conf. ANON. Collat. Mosaic. & Roman. LL. Tit. 9. §. 3. ap. SCHVLTING. p. 767. Ipse CONSTANT. HARMENOPVLVS legem antiquam in opere, cui Πρωτερον νόμος titulus, Lib. I. cap. 6. deprimat. *Kon' est' novâtes, igit' di' amfâtes, avôçevoyat' μαγαθόν. conf. l. 1. Cod. Theod. d. rapt. virg.*
- (i) FRANC. DVAREN. Comment. in Tit. ff. qui test. fac. poss. in Opp. p. 324.
- (k) JVL. CLAR. *L. III. qu. 320. n. 2.* BELLON. conf. l. 4. n. 8.
- (l) ad *L. 2. ff. d. R. I. n. 28.* conf. DANTOINE ad eand. p. m. 11. DVENNAS. Reg. 313. p. m. 487.
- (m) FR. ACCVRS. ad §. 6. d. l. Testam. lit. b. DVAREN. d. l. p. 325. ZANGER. d. quæst. cap. 3. n. 26. Addit perjurium TIRAQVELLVS in *LL. Connubial. l. p. n. 56.* in Opp. Tom. II. p. 137. ex quo, etiam scribit, Imperatore Legem Julianam Miscellam, qua de Viduitate servanda jurjurandum à feminis exigebatur, in Auth. quod eis. C.

sis ideo testamentaræ nomen acceperit, timorem tamen falsitatis ad feminas solas restringere non decet, præsertim, cum & mares, in quos facilius cadere potest, ut: infames, non penitus à Testimonio excludantur. *l. 1. §. d. testib.* Hinc ne umbram quidem τῶν καλῶν vidisse existimo, qui, nescio quo impetu, mulierum, tanquam sedifragarum, corruptibilem, insanarum, mendaciarum, dolosarum &c. testimonium in ultima voluntate generaliter reprobant. (n) Qui loquacitatem feminarum huc referunt, ridiculos, frivolos & ineptos merito vocat BACHOVIVS. (o) Quid enim eloqui possent, cum testamentum clausuræ & obsignatum tenore haud communicato ipsis oblatum sit? Nec facile disenserim, si quis Masculorum Testium nonnullis objicere vellet, quod CATO M. COELIO Trib. plen. opprobavit, *Frustrò, iniquis, parvis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur.* (p) Lepidum quoque est, dicere, mulieres ideo removeri in actu testandi, ne omnia ejulatus ex misericordia oriundo adimpleant. (q) Præsentia enim ipsis non interdictum, sed testimonii facultate, pro quibus etiam ejulatus omitti potius militat præsumtio. (r) Pudorem pro sufficienti causa allegantes sententiæ confirmationem à *l. 21. C. d. procur.* expectant, qua dispositum, ne feminae in Contumeliam matronalis pudoris irreverenter irruant, & conventibus virorum vel Judicis interfint, (s) quæ tamen de solis judicialibus actibus loquitur, casumque non excludit, quo femina testatrix ad voluntatis suæ novissimæ actum testes septem sui sexus adhibere vellet, qui tunc in fraudem Legis dicerentur idonei. Nec lederetur feminarum una cum Masculis rogatarum pudor, si *revertor*, decenti habitu & capite rita velato iis admiserentur, quibus antiquitus quoque permittum erat, testæ hoc modo facie in virorum præsentia sacrificia facere. (t) Forte verior quidem ratio audit MARCELLIO (u) quia in testamento adhibiti testes rogati; *l. f. §. f. C. d. Codic. Nov. go. c. 2. d. ubi rogati. C. d. testib.* satis absurdum autem esset, mulieres rogari, aut esse *testes rogatar.* Sola autem rogatio, ni legis sanctio obstat, feminas ab hoc Testimonio non removet, cum & in aliis negotiis testes rogentur, quibus mulieres in teresse possunt; *l. 18. ff. d. testib.* ac licet exemplo pessimum sit feminino vocabulo masculos contineri; *l. 45. ff. d. Leg. 2.* minus tamen absurdum censetur, marium appellatione mulieres comprehendi. *l. 8. ff. d. Legat. 3.* (w) Hinc facili liquet negotio, quo inani conjecturarum labore defudent, causam legis nostræ ex feminarum imbecillitatibus, aut scrupulosa Verborum crisi derivantes. Propius ad rem accessisse sibi persuadent, qui ad externam actus testandi qualitatem, ritus ac solennia olim observata respiciunt. Urgent igitur, testamentum esse juris publici, *l. 7. ff. qui test. fac. poss.* feminas vero sicut ad munera publica, ita nec ad solennia juris publici admitti, (x) sed opera sua, quæ ad domesticam diligentiam comparata est, column & fufum curare debere. (y) Verum illatio à muneribus ad solennia juris publici satis concludens esse non videtur, cum alias mulieribus quoque in legibus civilibus adempta esset testamenti factio, atque filiusfamilias, qui in publicis causis pro patrefamil. haberet, idoneus evaderet testator, quod utrumque à legitima testationis natura abhorret. Alii insistant, quod, ubi Lex testium in actu quodam adhibendorum certum numerum determinavit, semper masculi intelligantur; (z) quæ opinio per ipsam Legem nostram evertitur, qua Testimonii perhibendi facultas mulieri non, nisi in Testamentis, admittitur. Hinc in Contractibus, Codicillis, & probationibus reliquisque actibus solennitatem quandam testium desiderantibus, enunciata feminarum recipiunt. (a) Agnovit hoc jam olim Scholiasta Harmenopuli. *l. 1. r. 6. feminae Testimonium non semper reprobari per Veteres Leges edoctus, cum ita commentatur: 'Οι παλαιοί νόμοι τὰς γυναῖκας ἐν μὲν ταῖς οὐσιασταῖς μαρτυρίαις μὴ μαρτυροῦντας αἰσῶς ἀποκαθάρταν. Ἐν δὲ ταῖς ἀποδεικτικαῖς κατὰς μαρτυροῦντες; h. e. Antiquæ Leges mulierem quidem, in Commendatitiis (b) testimonii, non posse testimonium perhibere ostendunt; in demonstratoriis autem bene testimonium perhibere. Qui ex hoc scholio causam legis nostræ deducunt, commendatitiis accensent testamenta. (c) Ast & in τῶν ἑσπερίων Harmenopuli & in notas ipsi additas variæ LEONIS Novellæ conjectæ sunt, (d) ut in de mihi suspicio nascatur, verba hæc *Novell. Leon. 48.* referre, quam per antiquas Leges, Justinia-*

neas
Nupt. avogasse. Interpretatio certe & menti & verbis Justiniani contraria, qui hoc jusjurandum illicitè re vinculum iniquitatis esse noluit. conf. GRAVIN. *Origin. Jur. Civ. l. p. m. 387.*

- (n) Comicos hic sequuntur ANDR. TIRAQUELL. *d. l. p. 137.* FERN. VASQV. *d. success. lib. II. p. 143. n. 34. conf. Dn. BERGER. in Vol. Dissp. p. 792.*
- (o) *Uz FORCATVLVM. vid. BACHOV. ad TREVTL. Vol. II. D. 10. ib. 4. lit. f. seq. ID. ad Instit. tit. d. testam. §. 6. n. 2. p. m. 343. BERGER. d. l. p. 792.*
- (p) *conf. GELL. Noct. Att. L. I. cap. 15.*
- (q) *FORCATVL. ap. BACHOV. d. l.*
- (r) CICERO *Tusculan. Lib. II. cap. 23.* inquit: *Ingeniſcere quidem Viro concessum est, idque raro; ejulatus vero ne mulieri quidem.*
- (s) GOTHFR. *d. l. p. 27.* DANTOINE *d. l. p. 11.*
- (t) VARRO *de Legib. Lib. IV. cap. 29.*
- (u) MARCIL. *ad §. 6. Inst. d. testam. ord.* ap. JOH. van de WATER *Instit. L. II. Cap. 20. §. 6. p. 236.*
- (w) *Confer. l. 62. cod. l. 45. f. d. Legat. 2. l. 195. ff. d. V. S. WISENBACH. ad tit. d. V. S. disp. 1. th. 16. de rogatione testium in testamento vid. BARN. BRISSON. d. formul. Pop. Rom. Lib. VII. p. m. 586.*
- (x) VIOLIVS ZWICHEMVS, primus THEOPHILI Paraphrascos interpres & Scholiasta ad §. 6. l. d. testam. SCHVLTING. ad VLP. IAN. *T. 20. §. 7. n. 22. p. 628. conf. SCHILT. Prax. Jur. Rom. Ex. 35. §. 22. p. 327.*
- (y) In quo totum feminae testimonium reponi olim crediderunt, secundum COLUMELL. *de re rust. Lib. XII. in præfati.*
- (z) REINH. BACHOV. *ad §. 6. l. d. testam. ord. p. m. 342.*
- (a) Ne n igitur assentior DANTOINE quando ad *l. 2. ff. d. R. I.* inquit: *Dans les cas mêmes, ou le témoignage des femmes est reçu, les Docteurs avancent, qu'il n'est pas si fort, que celui des hommes. p. 10. cum & per duas feminas, quibus nihil quam sexus objici potest, plena probatio fiat. c. 33. X. d. testib.*
- (b) Hic mihi proprius Vocabuli *εὐραστὸς* videtur significatus, quem communicant Harmenopuli Interpretes JO. MERCERVS & BERNARD. a REY. in *ordinatoris* Dn. BERGER. in *Vol. Dissp. p. 81. §. 31. constitutiis* vertit VINNICVS *ad §. 6. l. d. testam. ord. p. 282. conf. JAC. CVJAC. ad Ulpian. tit. 20. In Opp. T. I. p. 154.*
- (c) *CV JAC. d. l. p. 154. VINN. d. l. JO. DAVTH. d. testam. ad l. 20. §. 6. ff. qui test. fac. poss. p. m. 350. DOMAT. Les Loix civ. dans leur ordre. natur. Liv. III. Tit. I. Sect. 3. §. 4. p. m. 393.*
- (d) Ut erudite demonstrat CORNEL. van BYNKERSHOEK *observ. Jur. Rom. L. 4. Cap. I. p. m. 174.*

neas intelligere, supra exposuit. Porro actum testandi mulieres, tanquam testes, non admittere ex eo statuitur, quod non sit repositus, aut fortuitus, ut nihil necesse sit, ut Viri honesti haberi possunt, accire feminas *Nov. 90. Cap. 1. (e)* quod tamen rejiciendum existimaverim, cum flante eo testamentum valeret coram septem feminis celebratum in casum, si masculorum copia non fuerit, & sic quotidie lex nostra circumvenitur. Tandem ejus quoque, quod post mortem testatoris contingit, rationem habent, & cum testis in ultima Voluntate accessit ad praetorem, ut sigilla sua tabulis appensa recognoscant, sint vocandi, *l. 1. §. ff. testam. quemadmod. aper.* mulieres vero in praesentia illius stare nequeant; *l. 21. G. d. procur.* vel ex hoc capite damnari muliebri in testamento testimonium judicant. Sed feminis absque discrimine comparandi in Judicio facultas adempta non est, potius testimonii ferendi causa alias limini Praetorio appropinquare possunt, *vid. l. 15. ff. d. injur. Nov. 124. c. 1.* nec ulla lege constitutum, eas domi examinandas esse. (f) Superest, ut ad eos deveniam, qui ritus a veteribus in condendo testamento solenni observatos speclare jubent, & ex illorum indole, habitabilitatem testimonii ponderant, causamque simul Legi notratæ conciliare laborant. Quemadmodum enim numerus testimonii ex Antiquitate descendit, ita & qualitas inde derivanda. Equidem testamentorum olim duplex genus erat: alterum in calatis Comitibus, alterum in prociectu conditum, quibus tandem accessit tertium: per aēs & libram. Nuncupativum erat, quod fiebat in calatis Comitibus, non quidem ejus causa convocatis, sed erant instar appendicis Comitiorum a Pontificibus convocatorum. *Quid autem femine cum Concione? si patrius mos servetur, nihil.* (g) Ergo à Comitibus repellentur mulieres, solumque mares in ejusmodi testamento habiles ac idonei erant testes. (h) Idem observatum dicitur in testamentis in prociectu confectis. Deducus enim reputabatur in feminis Romanis, cum maritis ad bellum coarmari, quod Scythicis honestum erat. *Nov. Leon. Cap. 48.* Ultima Voluntas, quae per aēs & libram declarabatur, libripendem, familiae emtoem, & quinque testes Cives Romanos puberes, & cum quibus testamti factio est, requirebat. *§. 1. f. d. testam. ordin.* Pubertum vero appellatione masculos designari, & sic feminarum testimonium apud Veteres reprobari communiter asseritur. (i) Omnes tamen haec rationes, quocumque demum sale tinctae sint, me nunquam commoverunt, ut repulsionem mulieris à Comitibus vel mancipationibus, aliisque prisci juris solennitatibus pro unica eaque perfectissima causa reprobandi illarum testimonii in testamentis acciperem, praesertim, cum certo respectu defendi queat, feminas in Comitibus toleratas, ad probandam ultimam Voluntatem admittas, & in Contractibus, quorum species erat per aēs & libram designata mentis novissima testatio, testes receptos fuisse. Aliam Causam Legis *XX. §. 6. ff. qui testam. fac. poss.* vel a pluribus noudum repertam, vel neglectam & forte eam latere existimo, quod, cum impuberes in ultimæ Voluntatis negotio directis verbis prohibeantur testes esse, *§. 6. f. d. testam. l. 19. 20. pr. ff. qui test. fac. poss.* antiquitus autem feminae sub perpetua tutela fuerint, vel ex hac causa testes in testamento fieri non poterint. (k) Sed plura hic apponere prohibet chartæ angustia, proximæ occasione reservare jubet temporis ratio, quam naclus, ita incedam, ut contra ultimam, a solennibus Comitiorum Romanorum petitam, legis hujus Causam dubia nonnulla modestè excitem, ac alterius sententiam ex præca tractationum & pubertatis indole fundamenta quaeram. Hæc interea de causa legis nostræ generaliter ventilata sufficiant, causa potius insituta reddenda erit, quæ scripturæ hujus genus provocavit. Scilicet Michaelis tempus postulat, ut Collegia per semestrem hybernum habenda ex valvis consueto more significentur: quas igitur sum vel continuaturus vel auspicaturus prælectiones, breviter exponam:

- Hora X. in SCHOEFFERI Synopsi Pandectarum, a Lib. XII. ad quem perventum, ac
 Hora XI. in Magnif. MENCKENII Usu Theoret. Pract. Institution. à Lib. II. Tit. XX. (& in hoc quidem opera Privatissima) ut &
 Eadem Hora diebus Mercurii & Saturni in Exercitiis DISPUTATORIO-Elaboratorio-Practiciis hac statim septimana facto tempore pergam. Absoluta autem altera, quæ restat, nundinarum hebdomade
 Hora III. Institutionum Textum publice in Auditorio Juratorum interpretabor; Privatos inter parietes
 Hora IV. ad Excell. GRIBNERI Principia Processus Collegium Practicum-Elaboratorium aperiam, eaque per trimestre spatium utar methodo, ut utriusque Processus natura diligenter & ore & scriptis ventiletur, artificiumque excerpti & referendi acta judicialia communicetur. Ut vero, quæ in explicatione Pandectarum suppedito, eo majori fructu excipiantur,
 Hora III. diebus Mercurii & Saturni Repetitorium perque semestrem duraturum laborem suscipiam;
 Hon. Commilitonibus partes respondendi dubiaeque, pro temporis ratione, proponendi relictaurus. Faxit Deus feliciter. P. P. Lips. Dom. XIII. p. Trin. A. S. C. 10 1000 XXI.

- (c) VINN. *d. l. p. 182. n. 4.*
 (d) Dn. BERGER. *d. mul. test. in Vol. Dissert. p. 792. §. 11.*
 (e) Verba sunt VALER. MAX. *lib. 3. cap. 8. conf. GELL. Noct. Att. Lib. V. cap. 20.*
 (f) Dn. THOMAS. *ad Inst. tit. d. testam. Ordin. p. m. 178.* HEINECC. *Antiqu. Rom. ad eund. tit. §. 15. p. 429.* Dn. BERGER. *in dissert. p. 792.* GÖTHOFK. *de Regul. Jur. p. 27.* MARTINI *ad Inst. L. II. t. 10. §. 6. n. 9. p. 311.* HONDED. *Vol. II. Conf. 67.* MVLLER. *ad Struv. Syn. Jur. Civ. Exerc. XXXII. th. 13. lit. (E)* STRYK. *de Cautel. Testam. Cap. XV. §. 23. p. 526.*
 (i) Dn. BERG. *d. l. p. 791. §. 11.* JO. VOET. *ad ff. L. 28. tit. 1. §. 7. p. 262.*
 (k) Rejicit quidem cum opinionem Ill. Dn. BERGER. *d. l. p. 792.* cum nihil tale habeatur in Jure Justiniano. Sed licet ratio prohibitions hodie cesset, lex tamen vetans post tempora cessantis rationis superscit. *v. ipf. §. II. in fin. VLRIC. HVBER. Pract. Inst. L. II. t. 10. §. 13.* tribus saltem verbis causæ hic propositæ mentionem facit, & MARC. ANT. MVRETYS *in not. ad Inst. L. I. t. 27. pr.* antiquos ex feminarum perpetua impubertate colligisse, scribit, quod ad testamentum adhiberi non possint.

LIPSIÆ, LITERIS IMMANVELIS TITIL




Fk. 131
13

X 2400494

II k
886

CAVSAM
Legis XX. §. VI. P. Qui testam. fac. poss.
Q V AE
FEMINAS A TESTIMONIO
IN VLTIMA VOLVNTATE
DICENDO REMOVET,
INVESTIGAT,
AC
LECTIONES SVAS PVBLICAS
ET PRIVATAS
SEMESTRI HYBERNO INSTITVENDAS
INTIMAT
D. GEORGIVS ADOLPHVS SCHVBERTH
INSTITVT. PROF. PVBL.



Mr. Rösler